

certa pena pecuniaria iudici nostro per partem non tenentem ipsorum arbitrium solvenda taliterque pronunciantes prefatum lesorem in circa^{yy} summa pecunie leso danda condemnantes terminos solutionis pecunie mox assignantes. Quam pronunciationem ibidem statim approbaverunt partes antedictae, una pars leso petit sibi pecuniam per arbitros edictam per lesorem fideiussoria firmari cautione. Lessor vero non potens fideiussores nec promptam habere pecuniam, per nos mitti iubetur in cippum et usque diem tercium, more apud nos a longe retroactis temporibus observato, teneri. Post diem vero tercium, prefate partes petunt inter ipsos fieri diffinitivam sententiam iuris, salvo tamen beneficio appellanti.^{zz} Nos igitur sententiam inter ipsos pronunciavimus, more ab antiquo circa nos tento, dicentes: Ex quo unus, reus, non potest habere promptam pecuniam nec fideiussores et iam perpressus, id est trpyell¹⁾, more solito civitatis, disciplinam, ex tunc leso predictus, quidcunque in ipso seu in ipsius corpore reperire poterit supra cingulumque tollat et vendat cum bono testimonio, tamdiu donec pecuniam predictam per arbitros pronunciatam non fuerit totam assecutus. A qua sententia leso prescriptus, petito et obtento sibi a nobis super deliberatione duarum septimanarum termino, appellat innuens^{ab}, quod non sit sibi sufficiens satisfactio, que continetur in nostra sententia, pro debito solvere aut cautionare non habentis et precipue pro tali debito quod provenit propter privationem et mutilationem corporalium organorum. Et optat de iure idem leso, quod debitor suus supradictus sibi per manum tradatur in manus suas tenendus per ipsum, tamdiu donec aut solveret aut cautionaret dictam pecuniam fideiussoria cautione. Quapropter vestram prudentiam petimus studiose, quatenus nobis velit enodare, quid pro iure fuerit edicendum in causa suprascripta iuxta iura et consuetudines vestre civitatis.²⁾

^{yy)} Kürzung undeutlich, möglich: circa : so und so viel, certa : bestimmte Summe. ^{zz)} Zu erwarten appellandi, aber apellanti der Hs. gibt auch Sinn. ^{ab)} 1. Buchstabe unsicher.

¹⁾ trpytel – Dufder, tschedysch; kommt im Schb. u. anderen Brünner Satzungen nicht vor.

²⁾ Antwort fehlt hier, vermutlich in Fall 12 zu sehen, der nur eine Antwort enthält, die auf eine derartige Anfrage wie in Fall 27 zugeschnitten ist.